

et omnibus Festis novem lectionum duas tribuit Vesperas, primas et secundas.

Duas Vesperas ejusdem Officii peragere antiquitus in usu non erat, et vetus Officium Romanum solum indicat Vesperas ad initium Officii. Micrologus (sæculo XI) duas Vesperas admittere videtur; sed potius dicendum est Vesperas secundas fuisse introductas ad finem sæculi XII, occasione reformationis Officii divini tempore Innocentii III († 1216).

II. Primæ Vesperæ juxta mentem Ecclesiæ solemnus peraguntur; secundæ vero minus nobiles et solennes censentur; quare admittuntur in secundis quandoque nonnullæ Commemorationes, quæ a primis abiguntur.

Notari potest hac super re dispositio Cæremonialis Episcoporum, cujus Rubrica maximam solemnitatem requirit pro Vesperis celebratis in Vigiliis plurium majorum Festorum per annum quæ enumerat; imo præscribit Episcopo ut ipse primas Vesperas celebret, si erit Missam solemniter sequenti die celebraturus; dum pro secundis Vesperis dicit, posse ipsas etiam per Episcopum eadem solemnitate celebrari, saltem in Dominica Resurrectionis, in die Nativitatis Domini, in Festo Sancti Titularis Ecclesiæ vel Patroni Civitatis. (Cæremoniale Episcoporum, Lib. II, Cap. I, nn. 2, 3.)

ARTICULUS VI

DE COMPLETORIO

Q. 64. *Describe ritum Completorii.*

R. « Ad Completorium absolute dicitur Lectio brevis, ut in Psalterio: deinde *Pater noster, Confiteor, Misereatur, Indulgentiam, Convertè, Deus in adjutorium*, Antiphona, Psalmi, Hymnus, Capitulum, Responsorium breve, Canticum cum Antiphona; omnia ut in fine Psalterii; et post Antiphonam in Duplicibus et infra Octavas dicitur Oratio; in alio autem Officio ante Orationem dicitur *Kyrie eleison*, cum reliquis precibus, ut ibidem in Psalterio. »

« Post Versum *Benedicat et custodiat nos, etc.* dicitur una ex Antiphonis beatæ Mariæ, cum Versiculo et Oratione, ut ibidem: et dicto Versu *Divinum auxilium*, di-

citur secreto *Pater noster, Ave Maria et Credo.* » (Rubricæ generales, Tit. XVIII, nn. 1, 2.)

Q. 65. *Explica nomen Completorii, et indica hujus Horæ partes.*

R. I. Completorium sic dicitur, quia in eo completur divinum Officium, ultima diei hora ante finem crepusculi vespertini; erat olim oratio vespertina monachorum, quam persolvebant dum e refectorio ad dormitorium pergebant, et in ipso dormitorio terminabant; a sæculo VIII obtinuit usus dicendi Completorium in Choro vel in Capitulo.

II. Tres in eo distinguuntur partes.

1° Quædam Completorium proprie dictum præcedebant; etenim, dato signo, monachi omnes conveniebant ad Capitulum, ubi a Lectore ritu consueto instituebatur Lectio spiritualis ad ædificationem audientium. Pro hac lectione inserta fuit in Breviario Lectio brevis ex Epistola S. Petri.

Finita lectione omnes pergebant ad Chorum, ubi mox instituebatur examen conscientie et Confessio peccatorum.

2° Post peccatorum Confessionem, sub consueto Horarum initio: *Deus in adjutorium*, rejecto Hymno post Psalmos, dicuntur Completorii Psalmi, et quæ sequuntur, usque ad Canticum Simeonis inclusive, quod Canticum olim Orationis seu Collectæ locum tenebat. — His diversis precibus exprimuntur petitio divini auxilii, ut Deus dignetur a nobis omnia mala avertere; fiducia in divina misericordia; et commendatio divinæ providentiæ.

3° Ultima pars, seu Oratio *Visita quæsumus* (quæ composita non videtur ut in ecclesia dicatur), recitabatur cum monachi post Completorium jam e Choro recesserant ad dormitorium, dum fiebat aspersio aquæ benedictæ; ea dicta, dabatur monachis benedictio, et tandem implorabatur auxilium B. Mariæ V., cujus instituti ratio data fuit Q. 47.

NOTA. Quæ superius breviter tradita sunt de Officio divino ejusque partibus, longius proponuntur apud sequentes auctores:

Fornici. Institutiones liturgicæ ad usum Seminarii Romani. 1 vol. (Diversæ sunt editiones Romanæ et exteræ.)

A Carpo. Compendiosa bibliotheca liturgica. 1 vol. 8°. Bononiæ, 1878.

Gavantus et Merati. Thesaurus sacrorum Rituum. 4 vol. 4°. Romæ, 1738. (Variæ sunt editiones.)

Cavalieri. Opera liturgica. Tom. 5, 1 vol. Bassani, 1778.

Ephemerides Liturgicæ. Publicatio mensilis. Romæ, Annus I (1887) et sequentes.

Schober. Explanatio critica editionis Breviarii Romani quæ a S. Rituum Congregatione uti typica declarata est. 1 vol. 12°. Ratisbonæ, 1891.

Du Saint Office considéré au point de vue de la piété, par M. Bacuez, Directeur du Séminaire de Saint-Sulpice. 1 vol. 12°. Paris, 1889. (4^a edit.)

Bernard. Cours de Liturgie Romaine. Le Bréviaire. 2 vol. 12°. Paris, 1887.

Maugère. Le Bréviaire Romain commenté. 1 vol. 12°. Paris, 1887.

Bernard. Le Bréviaire Romain. Commentaire. 1 vol. 12°. Citeaux, 1887.

Lerosey. Manuel liturgique. 4 vol. in 12°. Paris, 1889.

Batiffol. Histoire du Bréviaire Romain. 1 vol. 12°. Paris, 1893.

Chevalier. Poésie liturgique traditionnelle de l'Eglise Catholique en Occident. 1 vol. 8°. Tournai, 1894. Introduction.

Cabrol (Dom Fernand). Le livre de la prière antique. 1 vol. 12°. Paris, 1900.

Cabrol (Dom Fernand). Dictionnaire d'Archéologie chrétienne et de Liturgie. Paris. Fasciculus II editus fuit anno 1903.

Revue bénédictine (Messager des fidèles). Publication mensuelle. Maredsous, I Année (1884) et suivantes.

Probst. Brevier und Breviergebet. 1 vol. 8°. Tübingen, 1868.

Schuch. Pastoral-Theologie. 1 vol. 8°. Linz, 1885. (7^a edit.)

Amberger. Pastoral-Theologie. 3 vol. 8°. Regensburg, 1885. (4^a edit.)

Pleithner. Aelteste Geschichte des Breviergebetes. 1 vol. 8°. Kempten, 1887.

Bacumer (P. Suitbert). Geschichte des Breviers. 1 vol. 8°. Freiburg, 1895.

APPENDIX

Officiorum quorundam Specimina

Quo facilius Officii divini recitationem addiscat qui recens eam aggreditur, opportunum visum fuit subtexere breviter quædam specimina, eaque regularia, quæ tamquam exemplaria sint cæterorum Officiorum, et tironem quasi manu ducant ne aberrare queat.

66. Specimen Officii Duplicis et Semiduplicis

Primum datur specimen Officii duplicis, in Festo S. Norberti, Episcopi et Confessoris, 6 Junii; et Officii semiduplicis votivi de SS. Apostolis, quod singulis Feriis tertiis liberis ad libitum recitatur; hæc duo Officia supponuntur occurrere Feria II, et Feria III post Festum SS. Trinitatis, 6 et 7 Junii.

AD MATUTINUM

1. Oratio : † Aperi, Domine, os meum... *ad cujus initium consueto formatur pollice crux super labia.*
2. Pater... Ave... Credo...
3. † Domine, labia mea... *Formatur pollice crux super labia.* Et os meum...
4. † Deus, — in adiutorium — meum — intende. *Formatur manu crux a fronte ad pectus et ab humero sinistro ad dextrum.* Domine, ad adiuvandum... Glória Patri... Sicut erat... Alleluja.

DUPLEX

5. Regem Confessorum Dominum, venite adorémus. — Regem Confessorum Dominum, venite adoremus.

SEMIDUPLEX

Regem Apostolorum Dominum, venite adoremus. — Regem Apostolorum Dominum, venite adoremus.

Venite, exsultemus... jubilemus ei. Regem..., venite adoremus.

Quoniam Deus... ipse conspicit. Venite adoremus.

Quoniam ipsius... pascuæ ejus. Regem..., venite adoremus.

Hodie si vocem... opera mea. Venite adoremus.

Quadraginta annis... requiem meam. Regem..., venite adoremus.

Gloria Patri... Sicut erat... sæculorum. Amen.

Venite adoremus. Regem..., venite adoremus.

Hymnus: Iste Confessor... beatas... | *Hymnus*: Æterna Christi...